



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Maximilianvs Ep. M. 12. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

Fuit cum ad hortos Elyfios avolans ea oculorum  
spectacula habuit aurium que illecebras, ut irasce-  
retur illis, qui eum avocarunt. Ne igitur quisquam  
molestiam revocando faceret, mox ille illuc non redi-  
turus abiit. *Ex Surio.*

*Quisquis es, qui divini luminis illustraris splen-  
dore, sentisq; ad contemptum mundi provehi, a Do-  
mino prestitum noli tibi spernere donum, noli ob-  
descere aperire pulsanti Surge ocyus, & te volens  
arigere manum porrige. S. Laur. Iust. de Cont. mud.  
c. 19.*

S. MAXIMILIANVS EP. M. 12. Octobris.

**M**AXIMILIANVM, quo cive Pannonia, Austria  
patrono gloriatur, parentes nobiles Celeiz  
genuerunt, lactarunt Gratia, Musæ eduxerunt.  
Talis, inquam, MAXIMILIANVS dignus celo visus  
est, quem in suas partes pertraheret; & verò facile  
ille obsecundans meliora suadenti, hereditate sua  
(quæ opulenta ei erat) ultrò egenis cessit, divitem  
se ratus, si centuplo amplius liceret sperare. Iam  
honoris etiam umbram cum fugeret, insculta ta-  
men hæc virtutem, Laureaci mitrâ sibi devinxit, &  
in solum renuentem extulit. Hoc deinde cum  
furæ Decianæ deturbassent. Romam abiit; mox  
tamen Xysto II. Pont. Max. auctore rediit, & vi-  
ginti ipsos annos munere suo cum summâ laude  
est functus. Sub hæc in mentem venit, patriis  
etiam terris operam suam locare. Et fortè Evi-  
lasius illic Prætor Christianam pietatem oppugnâ-  
tum ibat. Tanto amplius festinandum sibi ratus  
illicò advolavit, & suppetias laborantibus in tem-  
pore tulit. Sed dum in primâ fronte acrius pugnat,  
inter primos gladio cadit. Post hanc tamen tam  
nobilem Hostiam propitia victoria semper post-



ea cum Christianis stetit. Diceres suum etiam Pannoniæ Decium obtigisse. *Ex Bruschio.*

*Quid prodest quemlibet hodie auro, gemmis & purpurâ contegi, si cras contingat eum nudum & eum ad inferni supplicia pertrahit? Quid juvat, si quis hodie terram faciat sub pedibus suis tremere, & cras medicus & pauper de hoc mundo compellatur vivere? S.P. Dam. l. 7. ep. 15.*

S. COLMANNVS MART. 13. Octobris.

**C**OLMANNVM Regii sanguinis juvenem & juventæ ævo suo facile principem genuit & educavit Scotia, hospitem Bojaria vidit & Austria, Habuit tamen hæc hostiliter potius quam hospitaliter. Etenim quoddam genus & virtutem, sub peregrino dissimulasset, justisque valere & patriam & opibus patriæ, sacram Hierosolymæ urbem in votis haberet, diu jam dæmoni malo ægrè faciebat. Hic igitur contra ægrè COLMANNO facturum id machinatur, ut innocentia sub proditoris nomine accusetur. Capitur, carceri datur, torquetur, uritur, laceratur, damnatur, & ex aridâ arbore ipse flos juventutis suspenditur. Hic demùm pro innocente crebra miracula perorant. Et integritatem animi sesquiannum sub dio pendens integrum corpusculum loquitur. Meruisse canos crescentes capilli & ungues testantur; clamat sanguis è vulnere numquam non recens. Ipsa, quam emortuam diximus, arbor in frondes suas reviviscens non debuisse mori COLMANNVM ait. Tot testibus tandem convicta Austria vertit sententiam, absolvit COLMANNVM, & se damnavit. Sed & hic tor honoribus post, quor supplicius antè mactatus

Au.